Morbio 21 (28)

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo octuagesimo septimo indictione decima die vigesimoquinto mensis may. Nobilis et egregius
dominus Matheus filius quondam nobilis et egregii viri domini Guidoti de Mandello civis Mediolani maior et antiquior patronus et advocatus ecclesie Sancti Damiani in Carrubio Mediolani
voluntarie sponte et ex certa scientia fecit constituit et ordinavit et facit constituit et ordinat nobiles viros dominos Tomaynum de Mandello filium quondam domini Ottorini Johanolum de Mandello
filium quondam domini Imblanadoli et Tazolum de Mandello filium domini Johanoli cives Mediolani similiter patronos et advocatos ecclesie Sancti Damiani suprascripte absentes tamquam presentes et
quemlibet eorum in solidum ita quod occupantis potior conditio non existat suos certos missos procuratores et nuntios speciales et quicquid melius dici et esse possunt ad se pro eo sustinente et eius nomine aggregan[dum]
semel et pluries et totiens quotiens expediens erit cum vel aliam seu aliquibus eorum visum fuerit expedire unacum aliis patronis et advocatis ecclesie predicte. Et ad elligendum et presentandum semel
et pluries et totiens quotiens expediens erit eis procuratoribus et cuilibet eorum in solidum visum fuerit expedire et quociens ... prefate ecclesie de ydoneo beneficiali seu rectore personam
ydoneam vivenda ... in beneficiatum et rectorem ecclesie suprascripte vacantis ad presens per promotionem factam de domino fratre Johane de Mandello olim ipsius ecclesie beneficiato et rectore ad abbatiam monasterii
Sancti Donati de Sestokalendas ordinis Sancti Benedicti papiensis diocesis tunc certo modo vacantis cuius abbatie possessionem dictus dominus frater Johanes noviter est adeptus. Et ad presentandum
electionem seu presentationem huiusmodi de persona elligenda seu presentanda. Et ad petendum a persona huiusmodi ut electioni seu presentationi predicte debeat assentire et ad obtinendum eius assensum
et ad petendum quotiens expediens erit electionem seu presentationem huiusmodi debere admitti et solemniter confirmari ... personam electam seu elligendam instituam in beneficialem et rectorem ecclesie
suprascripte. Et ad substituendum alios procuratores unum et plures loco sui in predictis et circa predicta et quolibet predictorum et substitutum seu substitutos revocandi et in se procurationis officium reassumendi
quotiens et quando ... procuratoribus suis et cuilibet eorum in solidum visum fuerit expedire. Et generaliter ad omnia alia et singula faciendum gerendum et exercendum que in premissis et circa premissa
et quolibet premissorum necessaria fuerint ac etiam opportuna et que ipsemet constituens facere posset si personaliter interesset etiam si talia forent que mandatum exigant speciale promittens dictus constituens
sub obligatione sui et omnium suorum bonorum michi notario infrascripto publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice cuiuslibet persone cuius interest vel interesse poterit perpetuo ratum gratum et
firmum habere et tenere quicquid per dictos procuratores suos et substitutum seu substitutos ab eis vel aliquem eorum et quemlibet eorum in solidum actum dictum gestum et procuratum fuerit in premissis et
circa premissa et quolibet premissorum. Actum in domo habitationis prefati domini Mathei site in loco Sidriano plebis de Corbeta Mediolani diocesis presentibus discretis viris Johannino filio domini Ottorini de Littis
Bernasio de Pessano filio quondam Maximi et Antoniolo de Ello filio quondam Guilli omnibus habitantibus in dicto loco Sidriano testibus ydoneis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(S.N.) Ego Jacobus de Feantys natus quondam domini Johannis publicus imperiali auctoritate notarius Mediolani premissis interfui et rogatus
hoc instrumentum publicum inde confeci et aliis negotiis occupatus per alium scribi feci meoque consueto signo signavi et me
subscripsi in fidem et testimonium omnium premissorum.

(S.N.) Ego Ambrosius filius domini Jacobi de Gierbio publicus imperiali auctoritate notarius Mediolani iussu suprascripti notarii scripsi.

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo octuagesimo septimo indictione decima die vigesimoquinto mensis may.
Nobilis et egregius dominus Matheus filius quondam nobilis et egregii viri domini Guidoti de Mandello civis Mediolani maior et antiquior patronus
et advocatus ecclesie Sancti Damiani in Carrubio Mediolani procurator nobilis et egregii militis domini Ottonis filii quondam nobilis et egregii
militis domini Petri de Mandello procuratorio nomine Ludovici et Johannis fratrum filiorum quondam domini Marcholi de Mandello etiam patronorum et advocatorum
ecclesie Sancti Damiani suprascripte ad hec specialiter constitutus ut constat publicis procurationis instrumentis hiis anno et indictione die mensis septimo instantis
mensis may per Ambrosium Bossium publicum imperiali auctoritate notarium Mediolani dicte diocesis traditis et rogatis procuratorio nomine dictorum dominorum
Ottonis Ludovici et Johannis de Mandello patronorum et advocatorum ut supra fecit substituit et ordinavit et facit substituit et
ordinat nobiles viros dominos Thomaynum de Mandello filium quondam domini Ottorini Johannolum de Mandello filium quondam domini Imblanadoli
et Tazolum de Mandello filium domini Johannoli cives Mediolani etiam patronos et advocatos ecclesie Sancti Damiani suprascripte absentes tamquam presentes et
quemlibet eorum in solidum ita quod occupantis potior conditio non existat suos dicto nomine et dictorum domini Ottonis militis Ludovici et Johannis
procuratores et quicquid melius dici et esse possunt videlicet ad omnia et singula facienda que dictus dominus Matheus de Mandello ab
eis domino Ottone Ludovico et Johanne advocatis ut supra virtute dictorum procuratorum instrumentorum habet plenum in mandatis rogans me
notarium infrascriptum ut de premissis publicum conficiam instrumentum. Actum in domo habitationis dicti domini Mathei site in loco de Sidriano plebis Corbete
diocesis Mediolani presentibus discretis viris Johannino filio domini Ottorini de Littis Bernasio de Pessano filio quondam Maximi et Antoniolo de Ello
filio quondam Guilli testibus omnibus habitantibus in dicto loco de Sidriano ydoneis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(S.N.) Ego Jacobus de Feantys natus quondam domini Johannis publicus imperiali auctoritate notarius Mediolani premissis interfui et rogatus
hoc instrumentum publicum inde confeci et subscripsi meoque consueto signo signavi et me subscripsi in fidem et testimonium premissorum.

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo octuagesimo septimo indictione decima die vigesimoquinto mensis
may. Nobilis et egregius dominus Matheus filius quondam nobilis et egregii viri domini Guidoti de Mandello civis Mediolani maior et
antiquior patronus et advocatus ecclesie Sancti Damiani in Carrubio Mediolani procurator nobilium virorum dominorum Johannoli et Albertini
fratrum filiorum quondam domini Imblanadoli et Bnardi filii quondam domini Carnevarii omnium de Mandello etiam patronorum et advocatorum
ecclesie Sancti Damiani suprascripte ad hec specialiter constitutus ut constat publicis procurationum instrumentis hiis anno et indictione die quartodecimo
instantis mensis may per Georgium de Albricis notarium Mediolani dicte diocesis traditis et rogatis procuratorio nomine dictorum dominorum Johannoli et Albertini
fratrum et Bnardi patronorum et advocatorum ut supra fecit substituit et ordinavit et facit substituit et ordinat nobiles viros
dominos Thomaynum de Mandello filium domini Ottorini Johannolum de Mandello filium quondam domini Imblanadoli et Tazolum de Mandello
filium domini Johannoli cives Mediolani etiam patronos et advocatos ecclesie Sancti Damiani suprascripte absentes tamquam presentes et quemlibet eorum in solidum
ita quod occupantis potior conditio non existat suos dicto nomine et dictorum dominorum Johannoli et Albertini fratrum ac Bnardi procuratores et
quicquid melius dici et esse possunt videlicet ad omnia et singula facienda que dictus dominus Matheus de Mandello ab eis dominis
Johannolo et Albertino fratribus ac Bnardo advocatis ut supra virtute dictorum procuratorum instrumentorum habet plenum in mandatis rogans
me notarium infrascriptum ut de premissis publicum conficiam instrumentum. Actum in domo habitationis dicti domini Mathei site in loco de Sidriano
plebis Corbete diocesis Mediolani presentibus discretis viris Johannino filio domini Ottorini de Littis Bernasio de Pessano filio quondam Maximi
et Antoniolo de Ello filio quondam Guilli testibus omnibus habitantibus in dicto loco de Sidriano ydoneis ad premissa vocatis specialiter et
rogatis.

(S.N.) Ego Jacobus de Feantys natus quondam domini Johannis publicus imperiali auctoritate notarius Mediolani premissis interfui et
rogatus hoc instrumentum publicum inde confeci et subscripsi meoque consueto signo signavi et me subscripsi in fidem et
testimonium omnium premissorum.

Mazzo B n° 4.

1387. 25 Maggio

Matteo di Guidotto Mandelli costituisce Procuratori per l'elezione del nuovo Rettore della Chiesa di S. Damiano Tomaso di Ottorino Giovanolo P. Imbianadolo e Carlo di Giovanolo tutti de Mandelli, e Padroni di detta Chiesa notaro Giacobo de Stanzii / exam. Diotti

Seguitano altre due procure sul istesso sogetto

Morbio 21 (28)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1853936022-16